



VELLUS AVREUM THEOLOGICUM

AONIDUM memori victurus carmine , quondam
Aesonides * Patrui suspectæ obnoxius iræ,
Seposito clam nutritus Chironis in antro
Salvificum *Medici* sibi nomen Iâson, Olympi

Auspicio meruit. Fautricis nudipes exin
Hortatu Iunonis abit, celebresque reposcit
Velleris aurati exuvias, maria invia circum
Marte reportandas valido, æternisque triumphis.
Magnum opus, ancipitis plenum formidine Sortis!
Quô mortem fugiat, nimirum mille procellas
Mortis adit, Sociosque legit de millibus Argo-
Nautas, & Navim; bisseros ordine Soles
Hanc fama est socijs humeris, manibusque Héroas
(Vt brevia, & Syrtes possent superare dolosas)
Per Libycas, mirum! tetulisse potenter arenas.
Prospera mobilibus mox dantes carbasa ventis,
Aequoreos fulcare sinus, & cœrula pergunt

Ver-

Verrere tonsarum auxilio, discuntque monentis
Consilio Phinēi, scopulis Symplegadas arctis
Felici transire Noto; pro sede faventis
Hospitij, memores largum tribuere minerval:
Nam Zetes Boreæ, Calai cum Fratre propago
Harpyias exesse iubent, volucresque molestas
Obvia foedantes Regalis fercula mensæ
In Strophadum deserta abigunt Symplegades artem
Herōis, Navimque stupent, domitæque recedunt
Diductis aptè scopulis. invictus IASON
Denique Thessalicis Medeæ in carmine verbis
Aeripedes subigit Tauros flamمامque vomentes,
Sopitoque acri vigiliqüe dracone, cupitis
Cum spolijs citò victor ovat, Patriamque revisit.
Fallimur? an melior tibi *Bonna* revixit IASON
Auspicio meliore Poli, semperque virenti
Dignior Aonidum Lauru, cui Palma sacratos
Theiologa impertit non emoritura triumphos
Lux nobis adaperta micat, velata faceſſat
Fabula! non FERNANDE metu, sed amore trahente
Bifronti te Castalides Heliconis in antro
Nutritum à teneris, pavere salubribus herbis;
Ambrosiâ Charitum te Sancta Colonia pavit
Per teneras comitata Scholas; levis inde iuuentæ

Letiferis cautè morbis , vitijsque mederi
A puerō tibi cura fuit; præcandida morum
Hinc **Cyclas**, genij mores, animique tegebat
Non fucis temerata malis ; innoxia vitæ
Fax puræ, similisque sui retinensque tenoris
Perpetui, mentes Superûmque, hominumque trahebat
In partes violenta suas ; in vere Iuventæ
Præcoce, maturi lucebas fronte Catonis.
Namque Rudimentis **Bonna** feliciter haustis
Lætus **Agrippinam** properas, maioraque sensim
Grammaticæ **Socialis amas** documenta Minervæ.
Inde per **Ausonias**, per **Graias** fortis arenas
Per **Logicas**, **Physicasque** plagas, virtute **Triremem**
Herculea portans, nec fractus pluribus annis
Iure Magistrales stadio in Tricoronide palmas
Præcipiuus pugilum victurâ Laude tulisti.
Nec stetit hic invicta manus, maiora petisti
Altivolæ similis flammæ , maioraque semper
Scandisti pronæ fastigia summa Thaliæ.

Divinæ hinc rimans **Sophia** sacrata fluenta
Irrigo satur ore bibis, raptusque bicornis
A **Rheni** graviore Schola, prædamque requirens
Theologæ preciosa subis commercia **Divæ**,
Et plenis locuples spolijs, præfulgida primùm

Baccatae victor rapuisti præmia frondis ;
Denique & Auricomæ radiantia vellera lanæ
Affiduo sudore vigil, certusque laboris,
Damnandi fugitans Otij satagensque triumphi
Omine ter fausto retulisti verus IASON,
Quam prædæ melioris amans, tam prodigus ævi
Neve Lupi, colubriue timens, temnensque pericli :
In patrio dum sponte solo PASTORIS obisti
Munus, Atlantiacos æquans fortissimus armos
Pro Grege robustæ exponens pia stamina vitæ.
Macte animo FERNANDE, novis decorate trophæis
Laureolâ decorate novâ ! io ! perge, medentis
Pro Te proque Tuis, age, munus IASONIS imple :
Invalidum solidato pecus, sanumque medelis
Præserua munque sacris, caulamque diurnis
Nocturnisque tege excubijs ; quassata potentis
Exempli verbique novis pius erige succis ;
Harprias scelerum turpes, fœdasque volucres
Hæreticæ fæcis, rostri pedore maligni
Divino-Angelicæ rodentes fercula mensæ
STROBELI in Strophadas obverte vrgentibus * Euris
Alternisue Notis ; quod si baccharier instent
Difficiles vinci, mox immedicable vulnus

Ense

* Opportunè importune 2, Tim. 4.

*Ense recide sacro, stygiasque revisere ad umbras
Cœli voce iube : scopulis Symplegadas altis
Angustos Superum calles superare doceto,
Atque arctas intrare vias, superare draconis
Tartarei spumas flammamque ignemque yomentes.
Sic te conspicuum victuro carmine, vatum
Posteritas ventura canat ; sic, vnde sub auras
Vitales prodijsti olim FERNANDE, superni
Cæligenis Locuples spolijs, animæque talentis,
PASTOR iure Bonus tecta ampla revise PALATI;
DOCTOR iure Bonus terris FERNANDE corusca,
Mansurum patrio per sæcula fidus olymbo!*

S T R O B E L I U S
Anagramma
S O L E T R I B U S

AD REV. dum AD. dum IN CHRISTO ET EXIMIVM
P. FRANCISCVM VAN DER VEKEN

SS. Theologiæ Doctorem,

Eiusdem FACULTATIS DECANVM
PROMOTOREM,

Et TRES simul Promotos Doctores,

Vox vetus est: Sol tantum unus, Rex unicus esto:
Nec Regnum Reges, nec capit Aula Duos